



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Formularium Episcopale**

**Barbosa, Agostinho**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Formula III. Denunciandi in Ecclesia illum, qui ad Ordines promovendus est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10456**

## FORMULA III.

*Denunciandi in Ecclesia illum, qui ad Ordines promovendus est.*

**E**GO N. Parochus Ecclesie S. N. de mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini D. Roderici à Cunha Archiepiscopi denuncio N. qui ad Ordinem N. admitti petit: hortor igitur omnes & singulos, qui hic adsunt, aut ad quos hujus rei notitia pervenerit, ut si aliquod cognoscunt Canonicum impedimentum, quo minus idem superius denunciatus possit ad supradictum ordinem admitti, Christiana charitate ducti me de omnibus certiores faciant, &c. Commodius verò erit denunciare vulgari sermone, ut ab omnibus intelligi possit.

## FORMULA IV.

*Litterarum testimonialium Parochiensium vigore facultatis evulgandi nomina Ordinandi.*

**E**GO N. Parochus, sive Rector Ecclesie S. N. oppidi N. hujus diocesis Bracharensis admonitus de Ordinationibus sacris habendis ab Illustrissimo & Reverendissimo D. Roderico Cunha Archiepiscopo Bracharensi, & rectè perspectis omnibus quæ ab ipsius Amplitudine præcepta sunt, seu admonita, denunciavi in Ecclesia intra Missarum solemniam N. ex parochia mea, qui ad Ordinem N. promoveri cupit, & postulat, & de natalibus, de-

vita, & moribus ipsius certior fieri curavi, eumque idoneum esse existimo, quatenus ex cognitis intelligere potui, qui ad prædictum Ordinem admittatur, fidemque facio, illum sæpius infra annum sacram confessionem, & communionem frequentare solitum fuisse, & me ac reliquos doctrinæ christianæ ministros sua opera, & assiduitate juvasse (vel ad christianæ doctrinæ scholam venire solitum esse, si minor sit.) In quorum fidem, &c. mea manu subscripsi, & sigillo Ecclesie meæ Parochialis munivi. dat. in ædibus Parochialis Ecclesie S. N. hac die....

*Si vero alicujus difficultatis impedimentum obesse videat, illud ante Ordinationis diem Illustrissimo Archiepiscopo significet. neque testimoniales litteras ante conficiat quam ab eodem Illustrissimo Domino, quid agendum sit acceperit.*

## FORMULA V.

*Litterarum testimonialium de titulo patrimonij.*

**C**UM ego N. Notarius publicus civitatis Bracharensis in actis meis habeam plura jura N... ex quibus constat, illum habere patrimonium verè & pacificè possidere bona immobilia, quæ justa & vera æstimatione quinquaginta millia nummorum nostratum pretio vendi possunt, & sita sunt in loco.... quorum redditus efficiunt summam viginti quinque aureorum nummorum lingulis annis percipientorum